



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XIII. De Gregorio VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

in Lateranensi sepulcrum huius Pontificis, cum Epitaphio posito à Sergio IV. Papa, "viro sancto, omnium scriptorum consensu, qui tantum quinque annis fuit posterior Syluestro; in quo Epitaphio laudatur Syluester tanquam optimus Pontifex. Occasio fabulandi de magia huius Syluestri fuit, quia erat Syluester peritissimus geometriæ, de qua etiam libros scripsit; seculo autem illo, id est, D C C C C. quo nullum fuit indoctius, & infelicius, qui Mathematicæ, aut Philosophiæ operam daret, à vulgo magus putabatur. Vide Onuphrium in annotatione ad Platinam.

CAPVT XIII.

De Gregorio VII.

**R**ICESIMVS PRIMVS, qui erroris arguitur ab aduersariis, est GREGORIVS Papa eius nominis septimus. Eum enim Magdeburgenses Centur. II. cap. 10. reprehendunt vt hæreticum, necromanticum, seditiosum, simoniacum, adulterum, ac pessimum non solum omnium Pontificum, sed ferè omnium hominum. Et idcirco eum non Gregorium, vt vocabatur in Pontificatu, neque Hidebrandum, vt dicebatur ante Pontificatum; sed Helbrand, appellant, quod Germanicè inferni titionem significat.

Eundem Gregorium Theodorus BIBLIANDER in Chronico vult esse ipsum Gog principem Magog: & omnes alij huius temporis hæretici nullum Pontificem magis detestantur, quàm istum; ac præsertim Tilmannus lib. I. de Ecclesia, cap. 9. vbi apertissimè mentitur, ea quæ narrantur mala de Gregorio VII. haberi in libris Monachorum, Papæque adulatorum; cum tamen & ipse Tilmannus, & Centuriatores nullum proferant testem, præter vnum qui fuit hostis iuratus Gregorij VII. omnia enim probant vnus Bennonis Cardinalis testimonio, qui illo tempore vixit, & vitam Gregorij VII. scriptam reliquit.

Ego autem in huius Bennonis librum legens, & impudentissimorum mendaciorum plenissimum inueniens, alterum è duobus mihi persuasi; aut reuera nihil tale eo tempore scripsisse Bennonem, sed aliquem Lutheranum esse huius libri

auctorem, qui eum sub Bennonis titulo ediderit; aut certe Bennonem illum non tam scripsisse vitā Gregorij VII. quam sub nomine Gregorij VII. voluisse depingere ideam pēniti Pontificis, ad eum modum, quo Xenophon scripsit vitam Cyri Regis Persarum; qui non tam narrauit quid Cyprianus scriberet, quā quid agere debeat optimus Princeps.

Non esse autem vllam fidē habendam huic Bennoni perspicuum est ex eo, quòd contrariū scribunt omnes alij auctores, qui illo ipso tempore aliquid de hac re ediderunt: quoniam maior fides habenda est, quā Bennoni; tum quòd istiusmodi sint, ille vnus tantum; tum etiā quòd Benno fuerit Cardinalis non à vero Papa Gregorio VII. creatus, vt mentitur Blander in Chronico tab. 13. qui Bennonem Gregorij Cardinalem, & ipsi Gregorio intimum fuisse dicit: sed ab Antipapa Clemente III. quem Imperator in odium Gregorij constituerat, vt patet ex lib. Onuphrij de Pontificibus. Cū enim esset Cardinalis Antipapæ, non poterat bene loqui de veropapa. Illi autem alij auctores neutri parti erant obstricti beneficio aliquo, & ideo rectius iudicabant. Esse autem eorum quæ scribunt ceteri, iis quæ Benno scribit, facile demonstrari potest.

Quatuor sunt ad quæ reuocari possunt omnia, quæ Benno. PRIMVM est, Gregorium VII. per vim militarem, quam ipse sibi pecuniis comparauerat, in ualido Pontificatum nullo Cardinalium subscribente, & sine vllò ceteri & populi consensu. At S. ANSELMVS Episcopus Lucensis, qui tunc viuebat, in epistola ad Guibertum, qui in schismate Antipapa dictus Clemens III. ita scribit: *Vt ergo, inquit, beato Gregorio patri nostro dicam, quod de Cornelio scriptus beatus Cyprianus: factus est Episcopus de Dei, & Christi iudicio, de clericorum penè omnium; &, vt verius dicam, omnino omnium testimonio, de plebis, qua tunc aderat Gregorio, de sacerdotum antiquorum, & honorum virorum Gregorio, cum nemo ante se factus esset, cum Alexandri locus est, cum locus Petri, & gradus cathedra sacerdotum adhiberet, &c.* Hanc epistolam refert Abbas Urspergensis in Chronico, & subiungit, istum Anselmum fuisse virum doctissimum, & sanctissimum; adeò vt viuus, & mortuus miraculis claruerit.

Exstat etiam apud Platinam forma electionis huius Pontificis in hæc verba: *Nos sanctæ Romane Ecclesiæ Cardinales, Clerici, Acolyti, Subdiaconi, Presbyteri, presentibus Episcopis, Abbatibus, multisq; tum Ecclesiastici, tum laici ordinis, eligimus hodie, X. Kal. Maij, in basilica S. Petri ad Vincula, anno salutis M. LXXIII. in Verum Christi Vicarium Hildebrandum Archidiaconum, virum multa doctrina, magna pietatis, prudentia, iustitia, constantia, religionis, modestum, sobrium, continentem, &c.* quæ forma diuina prouidentia conseruata videtur ad Bennonis mendacia coarguenda: Idem autem scribunt omnes alij auctores, quos infra citabimus.

DEINDE scribit Benno, Henricum IV. in fontem à Gregorio VII. excommunicatum, quod idem audent asserere Magdeburgenses Centur. II. cap. 6. col. 264. At STEPHANVS Episcopus Halberstatensis, vir sanctus & doctus, illo ipso tempore scripsit hæc verba in epistola ad Walramum Episcopum, teste Dodechino in additione ad Marianum Scotum, anno M. XC. & Trithemio in Chronico: *Audi, inquit, vera, non fucata; audi fortia, non faceta. omnis qui dignitates spirituales diuendit, hæreticus (simoniacus) est: Dominus autem Henricus, quem Regem dicunt, Episcopatus, & Abbatis vendit. Etenim Constantiensem, Bambergensem, Moguntinensem, & plures alios, pro pecunia; Ratisponensem, Augustensem, & Strasburgensem, pro gladio; Abbatiam Fuldensem, pro adulterio; Monasteriensem vero Episcopatum, quod dicere & audire nefas est, pro sodomitica immunditia vendidit. Quæ si impudenter negare & olueris, teste cælo, teste terra, omnes etiam à furno redeuntes scioli concludent hoc; Dominus Henricus hæreticus est. Pro quibus nefandis malis ab Apostolica sede excommunicatus, nec potestatem aliquam super nos, quia Catholici sumus, poterit exercere.* Hæc ille.

Marianus Scotus, qui ipso tempore Henrici IV. floruit, in Chronico anni M. LXXV. Hæc, inquit, & similia nefanda, & inaudita Henrici Regis flagitia videntes, & audientes fieri Catholici viri per id temporis in Ecclesia constituti, cum Propheta Helia zelo Domini zelantes pro domo Israël, directis Romam nunciis ad Alexandrum Apostolicæ sedis antistitem, hæc ei, & alia quàm plurima, quæ in regno Teutonico, insipientibus simoniacis hæreticis Rege Henrico auctore & patrono dicta

dicta & gesta sunt, tam literis, quam viva voce gemens, ac dolendo conquesti sunt.

Item DODECHINVS Mariani continuator, anno M. C. VI. Henricum, inquit, hominem peruersum, & in fide & doctrina ab Ecclesia eiectum constat manifestè; & vendidit enim omnia spiritualia. Idem verò auctor anno M. XC. & M. XCIII. multa scelera horrenda prorsus Henrici IV. refert. Sanctus quoque ANSELMVS Cantuariensis eiusdem temporis auctori epistol. ad Walramum, quæ præcedit librum de azyro, Henricum IV. Neronis, Domitiani, & Diocletiani succellum vocat. Denique non pauca Henrici scelera referunt Lambertus Schaffnaburgensis, Abbas Urspergensis in Chronico, Albertus Krantius lib. 5. Metropolis, & lib. 5. Saxonie, & Laurentius Auentinus lib. 5. annalium Boiorum; quibus auctoribus Scaldenburgenses multum tribuere solent. Quid, quod Cæsar ipse idem fatetur? sic enim scribit lib. 4. Infit. cap. 11. Imperator Henricus eius nominis quartus, homo leuis & temerarius, nullius consilij, magne audacia, & vita dissoluta, imperatoratus totius Germania habebat in aula sua partim venales, partim præda expositos.

TERTIO scribit Benno, Gregorium Papam hereticum Berengarianum fuisse; hoc est, non certò credidisse in Eucharistia adesse verum Christi corpus. Sed certè nihil minus de hoc Pontifice dici potest. Nam (vt omitam quod sanctus ab omnibus scriptoribus appellatur, quod Leoni IX. & Nicolao II. qui Berengarium damnauerunt, semper communiuit, quod nullus probatus auctor, ac ne Sigebertus quidem, qui parum ei fauit, tale aliquid asserere ausus est) hic ipse Gregorius in Concilio Turonensi tanquam legatus summi Pontificis præsidens eundem Berengarium confutauit. Sic enim GVITMVNDVS scribit lib. 3. de Eucharistia: Ipsa (Eucharistia) per B. Leonem Papam hac Berengariana figmenta a multis hereticis ortu damnauit. Deinde per hunc ipsum, qui nunc præfatus est, Gregorium Papam tunc Archidiaconum eiusdem Romane sedis, in Concilio Turonensi conuicit: ipsumque Berengarium, vt videbatur, correctum, ac propria manus Sacramentum satisficientem, clementer suscepit. Reuersumque aliquantulum post ad Comitum suum, agente sancta recordationis Nicolai Papa in generali Concilio Roma iterum confutauit.

Ac ne fortè dicant, Gregorium, cùm esset Archidiaconus, Catholicum fuisse, in pontificatu verò hæreticum factum; legatur Thomas Waldensis, tomo 2. de Sacramentis, cap. 43. vbi recitat ad verbum sententiam Gregorij huius Papæ septimi, quam in Romano Concilio contra Berengarium tulit anno Pontificatus VI. ex qua luce clarius apparebit, mentitum esse Bennonem.

QUARTO scribit BENNO, Gregorium virum deterrimum fuisse, simoniacum, magum, adulterum, homicidam, deniq; omnibus sceleribus coopertum: & historias quasdam narrat, quarum nulla exstant vestigia in bonis auctoribus; & eas tamen pro oraculis vendunt Illyricus & Tilmannus.

At contrarium scripserunt illo ipso tempore, & posterioribus seculis omnes ferè alij auctores. Ac, vt solùm Germanos proferam, TRITHEMIVS in Chronico scribit hoc modo de conciliabulo Imperatoris: *Ad hoc, inquit, Concilium malignantium Gulielmus Abbas Hirsaugiensis vocatus ire contempsit; quippe qui Vicarium Christi sanctum & innocentem noverat.* OTHO Frisingensis lib. 6. histor. cap. 32. *Hildebrandus, inquit, semper in Ecclesiastico rigore constantissimus fuit. Et cap. 34. Forma, inquit, gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonstravit; ac fortis per omnia athleta murum se pro domo Domini ponere non timuit.* Et cap. 36. *Ecclesia tanto pastore, qui inter omnes sacerdotes, & Romanos Pontifices precipui zeli & auctoritatis fuit, orbata, dolorem non modicum habuit.* KRANTIVS in Metropoli lib. 5. cap. 20. *Henricus IV. inquit, Ecclesiarum iura inuasit, Episcopos pro suo arbitrio instituens, destituensque, summum Pontificem Gregorium VII. virum sanctum insectatus est.*

ABBA S Urspergensis, non videtur ausus fuisse, nimis apertè Gregorium VII. laudare: tribus tamen in locis indicat sententiam suam. PRIMO, vbi verbis clarissimis Henricum VI. vituperat: *Anno, inquit, Domini M. LXVIII. Henricus Rex adolescentia & sus libertate, Saxoniam solam ex omni Romano Imperio cepit incolere; Principes despiciere; Nobiles opprimere; Inferiores sustollere; Venatus, lusibus, ceterisque eiusmodi exercitiis, plusquam iustitiis faciendis, vt incusatus est, operam dare; Filias illustrium quibuslibet obscure natis conjugare; privata præsidia, nimirum potentibus non satis fidens instituire.*

stitueret. Et infra: *Hic finis, hic interitus, hacque sortitione Henrici, illo sub vocabulo, quarta Rom. Imperatoris, a papa appellatus; a Catholicis vero; id est, cunctis B. Petro, suoque successoribus fidem & obedientiam lege Christiana conservantem archipirata, simul & haesiarcha, necnon & apostata, persecutorque, plus animarum, quam corporum competeret dicitur.* Hæc ille. Vbi dum Henricum ab adolescentia in tyrannidem declinasse docet, iustum Gregorij iudicium in eum Regem fuisse demonstrat.

Deinde infra, cum citasset verba conciliabuli contra Gregorium, ac deinde defensionem S. Anselmi pro eodem Gregorio, ita subiungit Abbas: *Hæc priori sententia Valdecurria scripsit Anselmus Episcopus, vir literis apprime eruditus, ingenio acutissimus, facundia præcipuus; & quod commendatus est, in Dei timore, & sancta conversatione nominatissimus; adeo ut tam in vita, quam post mortem referenturaculis clarus.* Hæc ille. Qui certè dum anteponebat Gregorium laudatorem reprehensoribus, mirum si non ipse etiam Gregorium tacite laudare videatur.

Deniq; infra sic ait de successore Gregorij VII. *Dilectus Cardinalis Romanus, & Abbas Casinensis, servus Christi famulus, licet multum corde simul & corpore renites, laboratur. Sed cum infirmitate graui laborans ad summam aetatem proueheret, precibus obtinuit, ut infra non minus dies ex hac vita tolleretur.* Quis autem dubitat hunc debetum, si verus Christi famulus erat, non fuisse vnquam approbatorum causam Gregorij, nisi eam iustissimam esse cognouisset.

NAVCLERVS in Chronico, generat. 37. *Vir, inquit, Gregorius religiosus, timens Deum, iustitia & aequitate maior, in aduersis constans, qui propter Deum, in his qua aduersitiam pertinebant, nihil timuisset perficere.*

MARIANVS Scotus Fuldenfis Monachus, qui tempore Gregorij VII. vixit, in Chronico anni M. LXXV. Gregorium inquit, *querimoniis, & clamoribus Catholicorum iniustus Henricum, & scelerum eius immanitatem auditis, & Dei accensus, iam dictum Regem excommunicatum pronuntiavit, maxime propter simoniam. quod factum Catholicis quidem & viris bene placuit; simoniacis vero ac fautoribus Regis minus displicuit.*

DODECHINVS Abbas continuator Mariani, anno M. LXXXV. Ipse, inquit, *Urbanus Venerabilis Papa Gregorij scripta & dicta contra schismaticos habita confirmavit.* Et anno M. XC. beatæ memoriæ Papam, Gregorium nominat.

LAMBERTVS Schaffnaburgensis, qui eodem tempore vixit, in historia rerum Germanicarum: *Hildebrandi, inquit, constantia, & inuictus aduersus auaritiã animus, omnia excludebat argumenta humanã fallacia.* Item: *Signa, & prodigia, quæ per orationes Gregorij Papa frequentius fiebant, & zelus eius feruentissimus pro Deo & Ecclesiasticis legibus factus eum contra venenatas detractorum linguas communiebãt.* Item ibidem refert obitum GVLIELMI Episcopi Traiecten. qui vnã cum Bennone Gregorium oppugnauerat: *Repente, inquit, grauissima egritudine correptus, miserabili eiulatu coram omnibus vociferabatur, iusto Dei iudicio se & presentem vitam amisisse & aternam, quod Regi ad omnia, quæ perperam intendisset, operam suam summo annisu præbuisset, atque in spem gratiæ eius, Romano Pontifici sanctissimo, & Apostolicarum virtutũ viro graues contumelias sciens & prudens innocenti irrogasset.* Denique ibidem: *Papa, inquit, ubi Misfarum solennia celebrasset, proferens manu corpus Dominicum ad Regem, palam ait: Ego iam pridem à te, tuisq; fautoribus insimulor, sedem Apostolicam per simoniacam heresim occupasse, & aliis criminibus vitam maculasse. Quo igitur satisfactionis compendio, omnem omnibus scandali scrupulum auferam, Deum precor, vt suo me hodie iudicio vel absoluat subiecti criminis suspicione, si innocens; vel subitanea morte interimat, si reus.* & mox partem Domini corporis accepit, & comedit, qua liberrimè assumpta, cum populus innocentia Pontificis congratulatus in laudes Dei aliquandiu acclamasset, ad Regem conuersus: *Fac, inquit, fili, si placet, quod me facere vidisti. Rex post dilationem impetratam, recusauit eo modo se purgare, nec iniuria: ubi enim ad suos redierat, statim etiam ad ingenium rediit, nec prius quieuit, quàm & B. Gregorium Vrbe expulisset, & Gilbertum Rauennatensem Episcopum eius loco supposuisset.* Hac ille.

IOANNES AVENTINVS restat ex Germanis, qui hoc nostro seculo scripsit, & licet multa scribat in Gregorium nostrum ex auctore quodam sine nomine, ac propterea etiam

sine



sine auctoritate: tamen alicubi etiam veritate victus, Henricum reprehendit, & Gregorium laudat. Sic enim ait lib. 5. annualium Boiorum pag. 563. *Henricum stupris, amoribus, prodiciis, & adulterij flagrasse infamia, ne amici quidem negent.* Et infra: *Gregorium virum sanctissimum pernicacitorem extitisse, Paulus Bernrietenfis, qui eius vitam libris duobus complexus est, & reliqui eius partium acerrimi propugnatores produnt.* Et infra pagina 579. posteaquam descripsit etiam Gregorio ab aduersariis obiecta, ita subiungit: *Aduersus Anselmum Lucensis Episcopus (qui hymnos, & alia, qua de seruatoris nostri cruciatibus prescripta sunt, de Gregorio interpretatur) & Gulielmus Hirjunus, qui suam causam, se ipsos esse miraculis post mortem declararunt, plerasq; scripturas.*

Habemus igitur innocentiam Gregorij probatam impudenter; testimonio scriptorum; testimonio aduersarij inuentis; & testimonio Dei a Pontifice inuocati. VNA solum est calumnia Sigeberti, qui in Chronico scribit, Gregorium VII. sensisse, Presbyterum concubinarium, si forte factum scire vellet, non posse reuera consecrare; & idcirco intercedisse Christianis, ne concubinariorum Presbyterorum sacra interessent.

RESPONDEO; Sigebertum fuisse ex sectatoribus Henrici IV. ut Trithemius refert in Catalogo scriptorum, ubi etiam si- nistrè interpretatum interdictum Gregorij. Quod autem Gregorius iusserit, longè melius, & fidelius refert B. Anselmus Sigeberto antiquior & sanctior. Qui in epist. 8. ad Gallicanum Abbatem sic ait: *De Presbyteris, inquit, qui se aperte reprobus, & libidinis commercio Deo execrabiles exhibent, commendandum est, quòd Apostolica providentia Ecclesiasticis, inique rigore constituit; nempe nullatenus conuenit, ut non reuerenter assetur, ubi pertinaciter aperta, & impudenti libidine fetentes, Dei & Sanctorum prohibitionem contemnentes, sacris altaribus deseruiunt: immò non deseruiunt, sed quoniam ad ipsos pertinet, turpiter commaculant. Non quo quis eos tractant, contemnenda, sed ipsos potius tractantes execrabiles existimet; ut qui Dei, & Angelorum presentiam non reuerentur, vel hominum detestatione repulsi, sacra contumaciter desistant.* Hæc ille. Qui rectissimè decretum Gregorij tempore suo editum explicauit.

Placet nunc Catalogum adscribere eorum auctorum, qui de Gregorio VII. honorificè scripserunt. PRIMV Migitur ipsius Gregorij aetate scripsit LEO Hostiensis circa annum M. LXXX. in lib. 3. historiae Cassinensis, multa de sanctitate huius Gregorij; in quibus etiam sunt caelestes reuelationes, & visiones probatissimorum seruorum Dei. Eodem tempore de Gregorio, vt sancto Pontifice, scripsit MARIANVS Scotus li. 3. Chronici ab anno M. LXXV. vsq; ad annum M. LXXXIII. Item LAMBERTVS Schaffnaburgensis in historia Germanica, non procul à fine. S. ANSELMVS Cantuariensis in epistola 8. & initio libri de azyma. S. ANSELMVS Lucensis in epist. ad Guibertum apud Abbatem Urspergensem. STEPHANVS Halberstatis in epist. ad Walramum apud Dodechinum in addit. ad Marianum Scotum. BERNARDVS Corbeiensis in Apologia pro Gregorio, teste Trichemio in Catalogo scriptorum. GVITMUNDVS lib. 1. & 3. de Sacramento Eucharistiae. Denique PAVLVS Bernrietenensis, & Gerochus Reicher-spergensis; quos pro Gregorio scripsisse, & propterea exilium passos; testatur Ioannes Auentinus lib. 5. annal. Boiorum. Higitur decem sancti & docti scriptores viuentem Gregorium defendebant, solus exstat ex scriptoribus illius aetatis Benno Pseudocardinalis, qui accuset.

Deinde circa annum M. C. SIGEBERTVS in Chronico, etiam si Henrico Imperatori faueret, vt supra diximus, nulum tamen crimen Gregorio ascribere ausus est, eorum quae Benno & Centuriatores referunt. Solùm tribuit ei zelum inconsideratum, & errorem circa Sacramenti Ministros, à quo quo satis eum Anselmus purgauit. Porro idem Sigebertus ibidem non tacet, pro Gregorio scripsisse Anselmum Lucensem; & huius Anselmi sanctitatem à Deo signis, & prodigiis demonstratam esse. Quod certè ad magnam Gregorij laudem pertinet. Non diu postea GRATIANVS circa annum M. C. L. decretum Gregorij retulit 15. q. 6. can. Nos Sanctorum. Et pro Gregorio nostro egregiè scripsit OTHO Frisingensis, & genere, & eruditione, & vitae probitate nobilissimus, lib. 6. hist. Item GVILIELMVS Tyrius circa annum M. C. LXXX. lib. 1. de bello sacro, cap. 13. & GOTFRIDVS Viterbiensis in Chronico suo vniuersali, par. 17. CONRADVS Abbas Urspergensis circa annum M. C. C. in Chronico, etsi nec aperte laudat, nec

m m m i v i t u -

vituperat Gregorium, laudat tamen (vt diximus) oculis  
 multis modis, nullo autem modo reprehendit. Eodem tem-  
 pore Dodechinus in additione ad Marianum apertissime Gre-  
 gorium laudat, & Henricum vituperat. VINCENTIVS circa  
 annum M. C. C. L. in speculo historiali lib. 25. cap. 44. miraco-  
 lis, & dono prophetiæ Gregorium VII. claruisse testatur. Et  
 eundem cum honore citat S. Thomas 2. 2. quæst. 12. articulo 1.  
 MARTINVS Polonus circa annum M. C. C. C. in vita eun-  
 dem Gregorij. Et Ioannes Vilanus lib. 4. histor. Florentinæ  
 cap. 21. BLONDVS circa annum M. C. C. C. C. decade 1. libro 9.  
 Matthæus Palmerius in Chronico, & Thomas Waldemarus  
 mo 2. cap. 43. S. ANTONINVS circa annum M. C. C. C. C. se-  
 cunda parte summæ historialis tit. 16. cap. 1. §. 21. Platina vita  
 Gregorij, & Æneas Syluius in compendio Blondi. Iuan-  
 NES Trithemius circa annum M. D. in Chronico. Ioannes  
 Nauclerus in Chronico gen. 37. Albertus Kranzius lib. de  
 tropolis, & Sabellicus Enneade 9. lib. 3. & Volaterranus in  
 Anthropologia, res gestas Gregorij, vt planè sanctissimi  
 descriperunt. Qui sunt auctores triginta duo, quos mihi  
 noni ad retundendam Centuriatorum & Tilemanni appu-  
 dentiam opponimus: necnon ad coarguendum Tilemanni  
 mendacium, qui scribere ausus est, Gregorij VII. hanc pro-  
 dita esse in lucem à Monachis & adulatoribus Papæ cum nos  
 contra ostenderimus, Gregorium ab omnibus laudari.

CAPVT XIV.

*De ceteris Pontificibus, quibus error in fide  
 tribuitur.*

**T**RICESIMVS SECVNDVS est ALEXANDER  
 qui capit. Cùm esses, de Testamentis, dicitur  
 alienum à diuina lege & Ecclesiæ consuetudine  
 vt in Testamentis requirantur plures tribu-  
 bus: & ibidem sub pœna excommunicationis præcipit, ut  
 nullus rescindat Testamenta cum tribus testibus facta. Alio-  
 trarium est in praxi totius orbis Christiani. Nec enim habet  
 tur rata Testamenta, nisi septem testibus adhibitis. Iam Alexander  
 capit. Licet, de sponsa duorum, dicit quosdam leges  
 praxi